

ptionem Verbi fuisse consumptam, ac in divinam transfusam: qui error, cum sit similis precedenti, similibus rationibus confutandus est.

12 Ad illum etiam ordinem spectat error Nestorii, qui cum videret Christum in Scriptura verum Dei filium, & hominem esse sepe asserit, nec lateri vellet eundem esse hominem & Deum, seu divinam & humanam naturam, in eam coaluisse personam, blasphemavit, sub hoc nomine Jesu Christi duas intelligens personas; alteram filium Dei ante seculum a Patre genitum; alteram filium Virginis, in seculo natum. Dicebat tamen in hoc filio Virginis representari filium Dei, & filium Dei in filio Virginis operari, & affectu summo, non vero unitate personali, dans illas personas inter se coherere, ideoque filium Virginis, nuncupatorie, & denominatione extrinseca, Deum appellari, nec quod revera Deus esset, sed tantum quod Deum representaret, aut Deus in eo per affectum, vel operationem, ut in suo templo habitaret.

13 Prima pars hujus erroris rejicitur in Concilio Ephesino, contra Nestorium coacto, parte prima cap. 4. pag. 62. ubi sic dicitur: Porro arbitrari hanc vicem Christus, secundum hunc, secundum illud, id est filio Dei, & filio Virginis, in duas personas inter se unitas coherere, statim est, immo & impium & blasphemum: unus enim est Dominus Jesus Christus, non divinus, necque dissolutus, juxta Paulum 1. ad Corin. 1. Numquid divinus est Christus? Secunda vero pars damnatur in Synodo generali, actione ultima, can. 4. his verbis: Si quis dixerit Deum & hominem, tantum secundum representationem, aut habitudinem honoris, vel operationis, vel effectus, unitum esse, & non secundum hypostasim, id est unitam personam, anathema sit, Hunc errorem fuisse & lato calamo impugnat S. Thomas 4. contra Gentes cap. 34. variis rationibus, que ibidem videri poterant.

24 Ad eandem classem reducitur error Eutichetis, qui ut unitatem personae contra Nestorium servaret in Christo, dixit in illo esse etiam seculum unam naturam: ita quod quamvis ante unionem essent duae naturae distinctae, divina & humana, in unione tamen coierunt in unam naturam, & sic dicebat Christi personam ex duabus naturis esse, non autem in duabus naturis subsistere. Qui error a Concilio Chalcedonensi damnatus est, nam in Symbolo fidei sic habetur: *Constitutum in novissimis diebus, Filium Dei unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nunquam, sub una diversitate naturarum propter unionem.* Et Athanasius in Symbolo dicit quod Christus est unus, non confusione substantiae, sed unitate personae.

15 Ex his ergo patet, fidem Catholicam agnoscere in Christo divinam simul & humanam naturam, in eadem Verbi Divini persona intime conjunctas, & indissolubili federe copulatas. Unde Leo Papa serm. 7. de Nativitate Domini ait: *Verum esse hujus mysterii adoratores, qui nec de incarnatione Domini aliquid falsum, nec de Deitate aliquid sentit indignum: parvis enim periculis malum est, si illi aut natura nostra veritas, aut paternae gloria negetur aequalitas.*

ARTICULUS III.

Judaorum error existimantium Messiam nondum venisse, testimonio veteris testamenti confutatur.

16 Messiam promissum jam venisse, nullus qui Christiano nomine gloriatur, quantumvis haereticus, negare potest; tum quia hoc potissimum differt Christiana fides a Judaorum perfidia: tum etiam quia Christus disertis verbis id affirmavit, Joann. 4. Cum enim Samaritana dixisset: *Scio quia Messias venit qui dicitur Christus: dixit ei Jesus: Ego sum qui loquor tuis.* Et hanc veritatem inter alias confessus est Petrus, Matth. 19. illis verbis: *Tu es Christus Filius Dei vivi, & Marth. Joann. 11. dicens: Tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hoc mundum venisti.* Itaque solum contra Judaeos, qui veteri Testamento, quod duntaxat admittunt, hac veritas breviter hic demonstranda est.

17 Licet autem in hujus rei confirmationem, plura proferri possint veteris testamenti testimonia, duo tamen, quae sunt famosiora & illustriora, sufficiunt. Primum habetur Genes. 49. ubi Patriarcha Jacob mortuus, & filiis suis benedicens, spiritum prophetico dixit: *Juda, adventum Messiae praedicans: Non auferetur sceptrum de Juda & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio Gentium.* Ubi sermone esse Messiae, patet ex verbo Hebraico *Sibb*, quod interpretatur missus, seu mittendus, sicut de pifina Siloe dicitur Joann. 9. hoc enim nomen proprie convenit Messiae, qui autonomastice missus, seu mittendus dicitur; unde Paraphrastes Chaldaicus, magne apud Hebraeos auctoritatis, pro *Sibb*, Messiam nomen habet, hic enim legit: *Non auferetur sceptrum de Juda & dux de femore ejus, donec veniat Rex Messias.* Constat etiam ex his quae sequuntur: *Et erit illi obedientia gentium: sive ut habet Oseas: Et erit illi obedientia gentium: hac enim verba, neque ad Saulem, qui non fuit*

de Tribu Juda, sed de Tribu Benjamin, neque ad Davidem, Salomonem, vel Jeroboam, aut alium ex Regibus Israel, adaptari possunt, cum nullus ex illis fuerit expectatio Gentium, aut illi data sit obedientia a Gentibus, sed solum Messiae, ex quo dicitur *Isaia 11. Radix Jesse qui stas in fine populi, isum genus deprecatur.* Duo ergo in hac prophetia Jacob praedictum, primum est fore ut Judas, quem singulariter Jacob alloquebatur, regnaret in suis posteris, quod in Davide & successoribus ejus impletum est: Secundum, quod deinceps non deiceret Rex de Dux de femore ejus: id est quod nullus deinceps esset Rex aut Dux, qui non esset de prognatis ejus, donec veniret Messias. Quae propheta ut vera sit, necesse est jam venisse Messiam, cum neminem jamdiu de Juda prognatis regnare, aut Ducem esse, & regnum Juda penitus esse extinguitum, manifestum sit.

Gravis tamen difficultas est, quo modo regia potestas, in Juda prognatis, a Davide usque ad Christi adventum, quem Messiam esse contendimus, semper manserit. Ratio dubitandi est primo, quia post Jechoniam cessaverunt Reges in Juda, ut patet ex Jeremie 22. ubi de Jechonia dicitur: *Scribe virum istum scribam, nec enim de femine ejus vir qui sedet super solium David, & potestatem habeat ultra in Juda.* Secundo, quia Machabaei annis 165. regnarunt, illi autem, cum essent Sacerdotes, non erant prognati ex Juda, sed ex Levi: Ergo regia potestas, jamdiu ante Christi adventum, a stirpe Juda deiecerat.

Ad Primum respondetur, quod licet in Jechonia deiecerit filius, qui sedebat super solium David, titulo & majestate Regis, non tamen qui sedebat in Princeps, seu Dux; constat enim quod Zorobabel, & deinceps ejus successores, descendebant ex Jechonia, ut dicitur Marth. 23. & primi Paralip. 3. Fuit vero Zorobabel Dux in Juda, ut dicitur Aggei 1. Propetia autem Jacob non restringitur ad titulum Regis, sed etiam Ducis, dicitur enim: *Non auferetur sceptrum de Juda, Et Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est.*

Ad secundum quod difficultus est respondit aliqui Scripturae Interpretes, quod quando in praedicta propheta dicitur, *Non auferetur sceptrum de Juda*, per Juda, non debet intelligi sola Tribus Juda, sed tota gens Judaica: unde ad veritatem illius, sufficere dicunt, quod aliqui Hebraeorum (sive illi fuerit ex Tribu Juda, sive ex Tribu Levi, aut quacumque alia) a Davide usque ad Herodem alienigenam, & adventum Christi, sceptrum sui principatum Judaorum tenuerit.

Sed hac responsio aliis displicet, & merito; hac enim verba: *Non auferetur sceptrum de Juda, &c.* ad illum singulariter dirigitur, ut patet ex verbis immediate precedentibus: *Juda te laudabunt fratres tui, adorabunt te filii patris tui, & ex aliis immediate sequentibus: Ligans ad vineam pullum suum &c.* quae dicta sunt ob fertilitatem terra Chanaan, quae Tribu Juda forte obvenit: Ergo cum prima & extrema verba prophetiae pertineant ad Judam singulariter, absurdum est existimare, media non ad eundem, sed ad universum populum Judaicum pertinere. Ad id quod, quando Jacob filiis suis sigillatim benedicebat, dicebat unicuique propria, nec quod erat unius Tribus, ad aliam transerebat, unde

Melius respondetur cum D. Hieronymo in cap. 1. Sophonia, quem sequuntur Lyranus, Abulensis, Baronius, & plures alii, Machabaeos fuisse progenitos ex Juda, ex parte matris, licet ex parte patris essent prognati ex Levi: quamvis enim alii non possent jungi matrimonio, nisi contribulibus suis, licebat tamen Tribui Juda, & Tribui Levi, propter nobilitatem, mutua inire conjugia, ut testatur Philo Judaeus lib. 2. de monarchia, non longe ante suum, & colligitur ex Scriptura: nam Exodi 6. dicitur Aaronem, primum Sannum Pontificem, duxisse in matrimonium Elizabetham, filiam Aminadab, Principis Tribus Juda, & 2. Paralip. 20. Joiadam Pontificem junxisse sibi matrimonio Josabeth, filiam Regis Juda. Et Lucae 1. Elizabeth, quae erat de filiabus Aaron, dicitur cognata Mariae, quae erat ex Tribu Juda, sicut & Joseph vir ejus: unde juxta hanc solutionem, patet quod a tempore Davidis, usque ad Herodem, & adventum Christi, fuerunt Reges vel Duces ex Tribu Juda, ex materno saltem genere, quod fufficit ad salvandam praedictam prophetiam Patriarchae Jacob: *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est.*

Dices, Si sufficiat maternum genus, seu linea feminae, ut dicatur non cessisse sceptrum in Juda, non verificabitur defecisse sceptrum tempore Christi: Herodes enim duxit uxorem Mariam, nepem Hircani Pontificis, quae erat legitima haeres regni, & ex illa natus est Aristobulus, ex quo Herodes Agrippa, qui regnavit apud Judaeos tamquam legitimus Rex, post mortem Christi, ut habetur Acto. 12. & 26. Ergo hac interpretatio legitima non est.

Respondeo quod licet Herodes duxerit uxorem Mariam, quae erat legitima haeres regni, ipsi tamen personae Herodis, collatum est regnum Judaeae, non uxori ejus, primo quidem ex Senatusconsulto, & beneficio Caesaris Augusti,

gusti, deinde ex populi consensu, qui acceptavit illum in Regem, eique juramentum praestitit, ut refert Josephus lib. 17. antiqui cap. 3. ubi etiam narrat, hac de causa animadvertisse Herodem in quosdam Phariseos, qui ipsi obedire & juramentum praestare recusarunt. Similiter, quod Herodes Agrippa, qui per lineam maternam (ex parte scilicet Mariam, quae ejus avia erat) descendebat ex Tribu Juda; post mortem & ascensionem Christi in Judaea regnavit, non obest veritati Propetiae Jacob: nam semel ablato scepro a Tribu Juda, ut factum est in primo Herode, jam adimpleta erat propheta illa, quae solum dicebat quod non auferetur sceptrum de Juda, quoad usque Messias veniret: quod vero semel ablatum, iterum non rediret ad Tribum Juda, ad talem prophetiam non pertinebat.

Aliud testimonium habetur Daniel 9. ubi Angelus Gabriel, ipsum Danielem instruit de tempore adventus Christi, dicens: *Septuaginta hebdomadae abbreviatae sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummaretur peccatorum, & finem acciperet peccatorum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia scripturae, & impletur visio & propheta, & ungetur Sanctus Sanctorum.* Deinde subdit Angelus occidentam esse Christum, & negandum a suo populo, & desolandum esse civitatem Jerusalem, ultima desolatione. In qua propheta, in primis certum est, sermone esse de vero Messia: nominatur enim Christus, *Sanctus Sanctorum*, & subditur, quod per ipsum delendum est peccatum, & propheta adimplenda: quae omnia fore vero Messiae convenire, manifestum est. Nec obest quod obijciat Judaei, Danielem non postulasse revelari sibi adventum Messiae, sed temporalem Judaeorum liberationem: nam praeterquam quod Deus fore interdum plus concedere solet rogarum, satis verisimile est, Danielem non tantum temporalem populi libertatem, sed multo magis spirituales, futuram per Messiam, desiderasse, quod satis indicavit Angelus dicens: *Ego veni ut indicem vobis, quia vultis desiderium esse.*

Deinde certum est, Gabrielem Hebraice Danieli Hebraeo loquentem, sine dubio hebdomadas simpliciter aliquo sensu quo folebant accipi ab Hebraeis, & quo sumebantur alibi in Scriptura; aliqui nihil certi ex hac temporis revelatione & definitione potuissent colligi a Daniele: At in Scriptura, duobus tantum modis sumi solet hebdomada, primo pro spatio septem dierum, ut Leviticis 23. *Numerabitis septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem expletionis hebdomadae septima, id est quinquaginta dies:* Secundo, pro tempore septem annorum, & hoc modo usurpatur Leviticis 25. *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est septies septem, quae simul faciunt quadraginta novem.* Debent ergo hebdomadae Danieli revelatae altero ex his duobus modis accipi, nempe pro septimanis dierum, vel annorum: quocumque autem ex his modis accipiantur, manifestum est illas jam pridem elapsas esse, ac impletam Danielis prophetiam, subindeque Messiam a multis saeculis venisse: nam septuaginta hebdomadae dierum, & vix unum annum & dimidium consequuntur; septuaginta vero hebdomadae annorum, efficiunt solum annos 490. quod annorum intervallo reperitur fluxisse, a tempore quo loquebatur Angelus Danieli, usque ad Christum Dominum. Verum quia sunt variae explanationes, & controversiae circa initium ac terminum temporis, quo inchoandus, & in quo finiendus est talium hebdomadarum numerus, & in his immorari, nec valet, nec expedit, independenter ab ea varietate explanationum, & opinionum, ostendo breviter, ex tali prophetia aperte colligi, jam a multis saeculis venisse Messiam: nam Angelus, post verba supra relata, subdit, quod ille Sanctus Sanctorum Christus occiditur, & non erit populus ejus qui eum negaturus est, & quod in penam hujus scelus, civitatem, & Sanctuarium dissipabitur populus, cum duce venturo, & finis ejus vastitas & desolatio. Atqui manifestum est, Sanctuarium & templum de quo Angelus loquebatur, jam pridem fuisse dissipatum, scilicet post Jesu Christi necem, ejusque desolationem ac dissolutionem, per multa saecula adhuc durare: Necesse est ergo jam pridem factum sit scelus, cuius ultio & poena praedicta ab Angelo esse executionis mandata. At scelus illud, ex Propetia, est occisio Christi, ejusque a suo populo abjectio: Ergo jam a pluribus saeculis occisus est, & a populo suo rejectus Messias, in veteri testamento promissus.

Confirmatur. De Messia dicitur Aggei 2. *Venite deservatis cunctis gentibus, & implebo domum istam* (templum scilicet Jerusalemitanum) *gloria: Ergo cum a tam longo tempore, illud templum penitus eversum sit (a tempore scilicet Titi & Vespasiani) non potest jam simpliciter expectari Christus, qui templum illud impleturus sit gloria, sed supponi debet quod tempore suo adventus & nativitas, tale templum exiterit, & nondum eversum ac dissipatum fuerit.*

Ad id quod ibidem Propetia subdit: *Magna erit gloria domus istius novissima, plusquam prima.* Quod cum non possit intelligi de majori gloria, ratione adificiorum, lignorum, valorum, vel etiam gloriae, & in dedicatione pri-

mi templi replevit templum, ut habetur 3. Regum 8. & 2. Paralip. 7. in his enim primum templum, novissimum incomparabiliter superavit, erit intelligendum de alia gloria, quae alia non est quam praesentia Christi, qui in novissimo templo saepe docuit & praedicavit.

Plura alia argumenta moralia, ad probandum Christum esse verum Deum, verumque Messiam a Deo promissum, adduximus in Tractatu de fide, in digressionem de signis credibilitatis fidei nostrae, quae ibidem videri poterunt.

DISPUTATIO II.

De possibilitate Incarnationis.

Quamvis D. Thomas, relicta questione de possibilitate hujus mysterii, statim agat de ejus convenientia, idque rationabiliter: Tum quia nulla scientia probat saltem ex necessitate, sed supponit suum obiectum esse possibile: Tum etiam, quia cum in convenientia includatur possibilitas, sicut superius in inferiori, demonstrata convenientia Incarnationis, ejus possibilitas sufficienter ostenditur. Quia tamen Commentatores a possibilitate Tractatum istam incipiunt, nec parum difficile est argumentis adversus eam fieri solitis satisfacere, ut demum aliquid consuetudini, & argumenta illa diluamus, egimus de possibilitate Incarnationis, priusquam de ejus convenientia & necessitate differamus: nihil vero dicemus de ejus existentia, cum illa sufficienter constet ex dictis art. 3. disputationis praecedentis, ubi Messiam jam venisse, subindeque Incarnationis mysterium de facto completum & peractum esse ostendimus.

ARTICULUS I.

Utrum Incarnatio sit possibilis?

Cum mysterium Incarnationis sit plane supernaturale, & nullumque habeat in rebus naturalibus velignium, aut medium quo possit convinci: ejus possibilitas ratione naturali demonstrari nequit, sed tantum probabiliter suaderi, tum ratione probabili, tum solutione argumentorum, quae ejus impossibilitatem videntur ostendere unde utrumque hic breviter praesandum erit.

§. I.

Ratione probabili possibilitas Incarnationis suaderetur.

Hanc rationem insinuat Archangelus Gabriel Lucae 1. Beatam Virginem alloquens, eamque de hujus mysterii possibilitate instruens, dixit: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum:* Illis enim verbis declaravit, omne illud esse Deo possibile, quod intellectu capi potest, ut non implicans contradictionem: Sed Deum incarnari, sive fieri hominem, ac assumere ad suam substantiam naturam creatam, nullam implicat contradictionem: Quero enim unde illa proveniat? an ex parte substantiae divinae, ad quam fit assumptio, an ex parte naturae creatae ad eam assumptae? Non primum, siquidem cum substantia divina sit infinita, subindeque eminenter continet omnem perfectionem substantiae creatae, potest, seclusis imperfectionibus, effectum illius supplere, atque adeo terminare naturam, quae terminaret substantia creatam, si adesset: sicut ex eo quod Deus in ratione prima causa, continet eminenter omnem perfectionem causae secundae, potest absque illa imperfectione efficere quod illa efficit. Neque etiam secundum, & prius non dependeat a posteriori, potest divinitus ab ea separari, & consequenter ad divinam substantiam assumi: Ergo incarnatio possibilis est.

Dices primo: Essentia Divina continet eminenter omnem perfectionem humanitatis, animae, intellectus, ac luminis gloriae; nec tamen propterea potest supplere formaliter vires talium rerum, ut communitur docent Theologi: Ergo ex eo quod nulla sit perfectio in substantia creatam, quam non continet eminenter divina, non recte concludimus, quod implicet substantiam divinam terminare naturam creatam, substantiae ejus vicem supplendo.

Sed negatur consequentia & paritas, quia omnia illa quae ibi recensentur, ita involvunt imperfectionem, ut non possint ab ea absolvi & praescindi: nam habere rationem naturae potentialis, actualis per substantiam, existentiam, & operationem, & habitus, ex proprio conceptu maximam important imperfectionem ab illis inseparabilem & impraescindibilem: terminare vero naturam creatam, ac supplere vires substantiae ejus, nullam dicit imperfectionem potentialitatis vel informationis in suo conceptu, a qua non possit absolvi & praescindi, ut ex solutione argumentorum patet.

4 Dices secundo: Licet substantia divina sit inhonita, habet tamen actum seu terminationem sibi adequatam, nempe terminationem naturae divinae, quae est simpliciter inhonita: Ergo sicut paternitas divina, licet inhonita, non potest alius esse aut dici pater, quia habet terminum, seu filium sibi correspondentem, infinitum; ita nec etiam divina substantia, poterit alienam naturam terminare, ob suam infinitatem.

5 Sed contra: Licet nulla res possit se extendere ultra actum vel terminum sibi adequatum absolute, potest tamen se extendere ultra actum vel terminum sibi adequatum, primum. Exemplum est in divina scientia & potentia, quae propter suam infinitatem non possunt habere pro objecto sibi adequato primario, nisi Deum, & tamen ad creaturas secundario se extendunt; Deus enim per suam infinitam scientiam se & creaturas comprehendit, & per intellectum, qui est in Patre potentia generativa Verbi ad intra, producit ad extra creaturas. Nec valet exemplum de paternitate divina; licet enim paternitas divina nulla alia persona divina, quam prima, possit esse aut denominari pater, eo quod denominationes quae oriuntur a relationibus communicari nequeant, non communicato fundamento; fundamentum autem divinae paternitatis, activa scilicet Verbi Divini generatio, nulli alteri personae divinae quam primae competere possit; nihilominus paternitas divina communicari potest ad extra, sicut communicatur ipsa filio; cum non minus Pater quam Filius possit humanam assumere naturam; ac proinde sicut Filius communicando suam substantiam, communicat filiationem divinam; ita & Pater communicando suam hypostasim, suam etiam paternitatem, & Patris denominationem communicaret; nam homo ille a prima persona assumptus, non esset Filius, aut Spiritus Sanctus; Ergo esset pater aeternus.

6 Dices tertio: Inter terminum & rem terminatam debet esse aliqua proportio: At nulla proportio esse potest inter naturam humanam, & divinam substantiam, cum infinito distent: Ergo licet substantia divina sit inhonita, tamen humanam naturam terminare nequit.

7 Confirmatur: Magis distat Deus & homo, quam substantia & accidens; cum illa in infinitum inter se distent, non vero ista: Sed accidens non potest existere per existentiam substantiae, vel substantia per existentiam accidentis: Ergo a fortiori natura humana per existentiam & substantiam Dei existere & subsistere nequit.

8 Confirmatur amplius: Eadem improprio est inter naturam creatam, & divinam substantiam, ac inter intellectum creatum, & intellectionem divinam: Sed implicat quod intellectus creatus intelligat per intellectionem divinam, ut docuimus in Tractatu de beatitudine in quo disp. 3. art. 5. s. 1. ostendimus hominem per incretam Dei visionem & intellectionem non posse beatificari: Ergo similiter implicat, quod natura humana, per incretam Dei substantiam terminetur & subsistat.

9 Ad instantiam concessa Majori, nego Minorem: ad cuius probationem dicendum cum S. Thoma in 3. dist. 1. q. 1. art. 1. ad 3. quod licet finiti ad infinitum nulla sit proportio arithmetica, bene tamen geometrica; ad hanc enim sufficit, quod finitum sit perfectibile per infinitum: unde cum natura creata per substantiam incretam perfectibilis sit, habet cum illa proportionem geometricam, quae per distantiam infinitam non dissolvitur, immo magis juvat, cum sola substantia inhonita & increta alienam naturam perficere, completere, & terminare possit, ut infra dicemus. Infinitus ergo divinae substantiae supra naturam humanam excessus, est solum in ratione entis, non vero in ratione termini & terminabilis: sic enim sunt proportionata, quia substantia divina non terminat naturam humanam infinito & illimitato modo, sicut terminat naturam divinam, sed finito & limitato, sicut ipsa natura humana exposit; eoque proportionali modo, quo essentia divina, per modum verbi & speciei expressae, terminat intellectum creatum in beatitudine, ut in Tractatu de visione beata docuimus disp. 2. art. 2. Ex quo patet responsio ad primam confirmationem: dicendum enim est, quod licet magis distent in esse entis Deus & homo, quam substantia & accidens, non tamen in ratione termini & terminabilis, sicut materia & forma magis distant in ratione entis, quam dux albedines, non tamen in ratione actus & potentiae.

10 Ad secundam similiter distinguo Majorem: Eadem improprio est inter naturam creatam & divinam substantiam, ac inter intellectum creatum, & divinam intellectionem: si natura creata & divina substantia in ratione entis spectentur, concedo, si considerentur in ratione termini & terminabilis, nego. Adde, notabile esse discrimen inter substantiam & intellectionem: intellectus enim, cum sit actio vitalis, debet necessitate procedere a principio, quod per eam denominatur intelligens, quod repugnat intellectioni incretae, respectu nostri intellectus: substantia vero, cum non sit actio, sed terminus, vel complementum naturae, non de-

bet procedere necessario a natura quam terminat, sed potest a Deo provenire; unde licet implicet contradictionem, quod intellectus creatus intelligat per divinam intellectionem, non tamen quod natura humana, per divinam substantiam terminetur.

§. II.

*Alia difficultas objectio solvitur.*

Contra possibilitatem Incarnationis objici potest hoc difficile argumentum: Deus non potest supplere vi- ces substantiae creatae: Ergo incarnari. Consequencia patet ex dictis §. precedenti, Antecedens probatur. Implicat divinam substantiam habere rationem formae, seu causae formalis, quia de ratione formae est esse partem, subindeque aliquid incompletum, ac dependens a toto composito, quod Deo repugnat: Sed Deus non potest supplere vires substantiae creatae, & constituere naturam creatam substantiam, nisi per modum formae; quia substantia creata est essentialiter forma natura creata cum eam intrinsece actuet, compleat, & perficiat: Ergo implicat Deum, seu divinam substantiam, supplere vires substantiae creatae.

Huic argumento communiter respondent nostri Thomista, negando Antecedens, ad cuius probationem, concessa Majori, negant Minorem, & ad probationem illius dicunt substantiam creatam non habere essentialiter quod sit forma natura creata, sed solum quod sit ejus terminus intrinsecus, sicut punctum constituit lineam terminatam formaliter, & tamen non est forma lineae, sed terminus ejus. Unde ut Deus supplet vires substantiae creatae, & constituat naturam creatam substantiam & terminatam, non oportet quod divina substantia habeat rationem formae, seu causae formalis, respectu illius, sed sufficit quod exerceat solum rationem termini.

Verum haec solutio, nisi magis explicetur, non videtur legitima; licet enim substantia creata non habeat rationem formae physicae, respectu naturae quam terminat, habet tamen rationem formae metaphysicae, non vero rationem puri termini, quod multipliciter demonstrari potest: In primis enim suppositum dependet a substantia, non quomodocumque, sed tanquam ab actu se communicante: Ergo cum actus & forma metaphysica sint idem, non potest denegari substantiae creatae causalitatem formalis metaphysicae. Secundo, substantia facit naturam formaliter subsistere, quidni ergo dicatur causa formalis subsistendi? Tertio, Omne constitutum est causa formalis metaphysica constituti: Substantia est constitutiva suppositi: Ergo & ejus causa formalis, saltem metaphysica. Quarto, Existencia est causa formalis existendi: Ergo & substantia erit causa formalis subsistendi. Quinto, Nemo negabit naturam in supposito habere rationem materiae, seu causae materialis, respectu substantiae per quam compleatur & actuatur: Ergo nec negare debet talem substantiam habere rationem formae metaphysicae, seu causae formalis respectu illius, cum causalitas materialis & formalis sibi invicem correspondent. Denique, quamvis forte non omnis dependetia inferat causalitatem, tamen essentialissima, & maxime propria, qualis est rei constituta a suo constitutivo, subindeque suppositi ab ipsa substantia, procul dubio illam inferat. Sed talis causalitas, cum sit intrinseca, non potest esse alia quam formalis, non potest enim esse materialis, ut patet, cum substantia non se habeat per modum potentiae receptibilis, sed ad modum actus perficientis, respectu naturae quam terminat: Ergo &c.

Melius ergo ad argumentum responderetur, negando Antecedens, & ad ejus probationem, sic distinguendo Majorem. Implicat Deum, seu divinam substantiam, habere rationem formae, seu causae formalis physicae, concedo: metaphysicae, nego. Similiter distinguo Minorem: Deus non potest supplere vires substantiae creatae, & constituere naturam creatam substantiam, nisi per modum formae metaphysicae, concedo Minorem: physicae, nego Minorem: & Consequentiam.

Explicatur & magis illustratur haec solutio: Triplex datur genus formae, seu causae formalis, nempe physicae, metaphysicae, & intelligibilis, inter quas hoc intercedit discrimen, quod forma physica, cum sit essentialiter pars, subindeque aliquid incompletum, & dependens a toto; & ab alia comparte, essentialiter involvit imperfectionem a qua praescindi & denudari non potest: forma vero metaphysica, cum non se habeat proprie per modum partis, sed per modum actus, & constitutivi, nullam in suo conceptu formali dicit imperfectionem, sed potius summam actualitatem & perfectionem. Idem dicendum est de forma intelligibili, illa enim non ordinatur ad componendum unam tertium, sicut forma naturalis, sed solum ad representandum objectum, cuius est formalis similitudo, & ad determinandum & perficiendum intellectum, ad intelligendum; quod tanto melius & perfectius praestat, quanto completior & actualior est, ut in Tractatu de visione beata

beata fuisse declaravimus disp. 2. art. 3. §. 2. Unde licet implicet Deum supplere vires causae formalis physicae, non repugnat tamen, ipsum formae metaphysicae, & intelligibilis munus obire, sed de facto in mysterio Incarnationis primum praestat, secundum vero in beatitudine, in qua essentia divina unitur intellectui beatorum, per modum speciei impressae, & expressae, ut loco citato fuisse ostendimus.

16 Advertendum tamen, quod sicut Deus & Angeli, licet revera sint formae, non solent tamen hoc nomine appellari, ne ipsorum perfectioni derogetur; ita substantia & existentia, licet munus causae formalis exerceat, respectu naturae quam compleat & terminat, propter rationem oppositam, ne scilicet habere videantur plus entitatis quam de facto habent, non solent vocari formae naturae, sed actus, modi, termini, & complementa illius; quae tamen rationes, seu denominationes, causalitatem quandam formalem involvunt, ut ex supra dictis patet. Unde si quandoque in decessu hujus Tractatus dicamus, substantiam habere rationem puri termini, respectu naturae humanae, nullamque erga illam exercere causalitatem, per hoc solum rationem formae physicae, quae involvit imperfectionem incompletions & informationis, non vero rationem actus & formae metaphysicae, quae ab omni imperfectione deputari potest, excludere intendimus.

§. III.

*Aliud argumentum difficile, ex immutabilitate Dei desumptum proponitur, & variae ejus solutiones referuntur, ac refelluntur.*

17 Hoc argumentum potest sic breviter proponi: Implicat Deum intrinsece mutari: Sed per incarnationem mutaretur intrinsece: Ergo impossibile est Deum incarnari. Major est certa, & patet ex dictis in Tractatu de attributis disp. 4. art. 6. explicando attributum immutabilitatis. Minor probatur. Mutari est aliter se habere intrinsece nunc quam prius: Sed si Deus incarnaretur, aliter se haberet intrinsece quam prius; nam fieret intrinsece homo, cum antea intrinsece homo non esset; Ergo mutaretur intrinsece.

18 Mirum est quantum haec difficultas Theologorum ingenia torqueat, & in quam varios dicendi modos eos abire compellat, in primis enim Valentia hic disp. 1. q. 1. puncto 2. ait quod ut aliquid intrinsece mutetur, debet acquirere aliquid quod antea nec formaliter nec eminenter habebat: unde cum Deus ante Incarnationem eminenter humanitatem praehabere, non fuit mutatus, quamvis per incarnationem eam sibi unierit formaliter.

19 Sed hic modus dicendi non videtur sufficiens ad conciliandam divinam naturae immutabilitatem cum mysterio Incarnationis: illud enim quod eminenter tantum tale, si postea fiat formaliter tale, vere mutatur: v. g. Sol continet eminenter calorem, ut docet S. Thomas q. 7. de potentia art. 7. ad 3. & tamen si fieret formaliter calidus, vere alteraretur & mutaretur. Angelus habet eminenter virtutes morales moderatrices passionum, nihilominus si formaliter illas recipere, vere mutaretur. Item si Deus de novo intelligeret per intellectionem creatam, aut accideret aliquid creatum de novo immediate recipere, intrinsece mutaretur, ut omnes fatentur, & tamen intellectus creatus, & quodlibet aliud accidens, eminenter continetur in Deo: Ergo mutatio intrinseca non obstat continentiae eminentialis formae de novo acquisite, & noviter adveniens subjecto, quantum ad esse formale.

20 Confirmatur: Ad mutationem intrinsecam sufficit quod subjectum sit aliquo modo in potentia ad aliquam formam intrinsecam in illo recipiendam; mutatio enim nihil est aliud quam transitus entis existentis in potentia, secundum quod in potentia: Sed subjectum eminenter praetereunt formam, & illam non habens formaliter, est aliquo modo in potentia ad illam, cum sit potens illam recipere formaliter: Ergo intrinsece mutatur, per receptionem illius, quantum ad esse formale.

21 Secundo aliqui respondent, per Incarnationem Verbum non mutari intrinsece, quia per illam non perficitur, nec in suo esse, nec in suis operationibus, cum aequo bene sine humanitate existeret, & illas exerceat operationes ab humanitate separatas, ac illi intrinsece unitum. Ita Franciscus Amicus, disputatione 1. de Incarnatione sect. 1.

22 Sed non placet etiam haec solutio: Aqua enim per calorem mutaretur intrinsece, & tamen ab eo non perficitur, & si Deus de novo per intellectionem aut volitionem creatam intelligeret, aut vellent, intrinsece mutaretur, & tamen per talem intellectionem aut volitionem non perficeretur: Ergo ex eo quod Verbum Divinum per humanitatem assumptam non perficitur, male inferitur ipsum non mutari intrinsece, si semel conceditur humanitatem intrinsece afficere Verbum Divinum, seu in eo intrinsece recipi.

Confirmatur: Dato quod Verbum intrinsece recipiat humanitatem, ut verum subjectum illius, salvatur in transitu Verbi de non esse hominis ad esse hominis tota definitio mutationis intrinseca: Ergo hoc admisso, intrinsece mutatur, quamvis non perficiatur intrinsece in suo esse increato, vel in propriis operationibus. Consequencia patet, Antecedens probatur. Transitus ille est actus entis in potentia prout in potentia passiva & receptiva formae: Sed haec est mutationis definitio: Ergo in illo transitu salvatur integra & adequata definitio mutationis.

Tertio respondent aliqui, Verbum divinum non esse per Incarnationem mutatum, quia non est intrinsece, sed extrinsece tantum humanitati unitum. Sed hoc facile rejicitur quia ex hoc sequeretur Verbum extrinsece tantum denominatione esse hominem, subindeque non esse hominem ejusdem rationis cum aliis hominibus, quod absurdum & erroneum est.

Quarto alii inde excludunt intrinsecam mutationem a Verbo, quia unitur humanitati assumptae, per modum quemdam unionis, qui in sola humanitate recipitur. Verum, praeterquam quod haec responsio falsam supponit, quia, ut infra ostendimus disp. 6. art. 3. nullus inter Verbum & humanitatem mediat modus substantialis unionis, sed illa extrema immediate inter se conjunguntur, adhuc tamen non solvitur difficultas: Nam licet unio animae rationalis cum corpore in eo solo recipiatur, ut aliqui existimant, aut in sola anima, tamen utrumque mutaretur per intimam adjunctionem alterius: Ergo similiter Verbum mutabitur per Incarnationem, si nihil aliud obstat mutationi.

Denique respondent alii apud Cardinalem Delugodisp. 1. de Incarnat. sect. 6. num. 71. humanitatem mutari in Incarnatione, quia unionem sustentat; Verbum autem non mutari, quia licet sit subjectum unionis, illam tamen nec humanitatem assumptam sustentat.

Sed neque is modus dicendi placet: Primo, quia falsum est quod Verbum humanitatem assumptam non sustentet; nam quaecumque natura creata sustentatur in supposito in quo subsistit: Sed humanitas subsistit in Verbo, supplet vires substantiae creatae: Ergo ab illo sustentatur. Licet Verbum propterea dici non debeat subjectum sustentationis respectu humanitatis, quia ad rationem subjecti non sufficit sola sustentatio formae, sine receptione illius; Deus enim accidentia in Eucharistia sustentat, & tamen quia ea non recipit, non potest dici esse illorum subjectum.

Secundo, Esto Verbum Divinum non sustentet humanitatem assumptam, ex eo tamen non recte colligitur, ipsum non mutari per Incarnationem: Etenim (ut recte arguit praedictus Cardinalis) materia prima non solum mutatur per formas materiales quas sustentat, sed etiam per animam rationalem, quam proprie non sustentat ut subjectum (cum anima rationalis per se subsistens sit, & a materia independens) sed potius magis ab illa materia continetur & sustentatur; quod proprium est formis separatis & per se subsistentibus, ut dicitur de Angelis: Ergo ut aliquid mutetur per formam non requiritur necessarium quod illam sustentet, sed sufficit quod illam in se recipiat, & esse quod ab illa praefatur; & per consequens, si Verbum est subjectum humanitatem recipiens, quamvis illam non sustentet, intrinsece mutatur per Incarnationem.

Nec valet si dicas, materiam ideo mutari per animam rationalem, quia licet illam quoad substantiam non sustentet, sustentat tamen unionem ejus cum ipsa: Verbum autem nec humanitatem, nec unionem sustentat, & ideo non mutatur per illam. Non valet, inquam, non enim solum per unionem animae rationalis mutatur materia, sed etiam & potissime per ipsam animam rationalem, & tamen licet sustentet unionem, non sustentat proprie animam rationalem: Ergo de ratione formae realiter immutantis, non est sustentari, nec de conceptu subjecti ut mutabilis per formam, est illius sustentatio. Consequencia evidens est, Antecedens probatur. Ad eo mutatur materia, a quo realiter informatur, actuatur & perficitur: Sed principaliter per entitatem animae informatae, actuatur, & perficitur, quam per unionem: haec enim solum est conditio ad perficiendum & informandum materiam, entitas vero anima, ut ratio formalis se habet: Ergo principaliter per entitatem animae rationalis, quam per unionem materia mutatur.

§. IV.

Senten. ad P. Martinoni rejicitur, & ostenditur Verbum Divinum, per unionem cum humanitate, non solum non esse intrinsece mutatum, sed nec etiam innovatum.

28 Pater Martinonus, novissimus Societatis Scriptor, ut a difficultate proposita facilius se expediat, docet hic disp. 1. sect. 4. num. 34. & sequentibus, admitti posse in Incarnatione Verbum divinum vere fuisse innovatum, licet non intrinsece mutatum; quia (inquit) ex unione ad humanitatem, nullum commodum, vel incommodum, ornamentum, aut dedecus, incrementum aut detrimentum in suo esse intrinsece suscepit, aut sustinuit.

29 Sed hic modus dicendi admittendus non est. In primis enim quod ille Auctor asserit, nempe Verbum per Incarnationem vere fuisse innovatum, pias aures offendit: quia quae male sonat Verbum esse innovatum, ac esse immutatum; cum hac videantur synonyma, & ubiqueque Scriptura asserit aliquid innovari, licet pro hac voce innovari, substituitur hoc verbum immutari: v. g. cum Machab. 1. dicitur quod est innovata civitas Jerusalem, licet substituitur est immutata, & cum Propheta ait Psal. 72. Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renovabitur factus terra, loco renovabitur, potest poni, immutabitur, & sic de aliis.

30 Confirmatur. Immutari nihil aliud sonat, quam alio modo se habere nunc quam prius: Sed quod innovatur, alio modo se habet nunc quam prius. Ergo quod innovatur, mutatur. Major patet, minor probatur. Quod innovatur, novo modo se habet, ut ex ipsis terminis constat: Sed quod novo modo se habet, alio modo se habet nunc quam antea. Ergo quod innovatur, alio modo se habet nunc quam prius.

31 Deinde, Quidquid potest innovari, potest veterascere, cum novitas & vetustas sint correlativa, & omnis innovatio supponit vetustatem quae transeat. Sed absurdum est dicere Deum posse veterascere: Ergo & innovari. Unde egregie Tertullianus lib. 1. contra Marcionem: Deus si est aeternus, non erit: novitas initium respicitur, vetustas finem minatur: Deus autem tam aeternus est ab initio & sine, quam a tempore arbitrio & motore initii & finis.

32 Tertio, esse innovatio non sit vera & rigorosa mutatio, est tamen quadam umbra & similitudo mutationis: Sed in Deo non solum non est vera & rigorosa mutatio, sed nec etiam vicissitudinis obumbratio, ut dicitur Jacobi 1. Ergo esse innovatio. Unde Sapient. 7. de Sapientia aeterna dicitur: Cum sit una, omnia potest, & in se permanens omnia innovat: id est, licet omnis innovatio quae est in aliis rebus, sit a sapientia aeterna, nulla tamen innovatio est in sapientia aeterna: quod non vere diceretur, si Verbum Divinum, quod est Sapientia Patris aeterni, in Incarnatione per unionem cum humanitate fuisset innovatum.

33 Deinde idem Auctor male inserit Verbum Divinum non fuisse in Incarnatione intrinsece mutatum, ex eo quod ex unione ad humanitatem, nullum commodum, vel incommodum, incrementum, aut detrimentum in suo esse receperit: cum enim mutatio nihil aliud sit quam transitus entis existentis in potentia, prout in potentia, ut aliquid intrinsece mutetur, sufficit quod recipiat formam aliquam ad quam erat in potentia receptiva, quamvis illa nec commodum nec incommodum, nec augmentum nec diminutionem inducat. Unde si Verbum per Incarnationem intrinsece in seipso humanitatem recepit, vel unionem cum humanitate; quamvis nullam commodum vel incommodum senserit, fuit intrinsece per Incarnationem mutatum.

§. V.

Patris Martinoni fundamenta solvantur.

34 Primum Patris Martinoni fundamentum sumitur ex illa Antiphona, quam canit Ecclesia in octava natiuitatis Christi: Mirabile mysterium declaratur hodie, innovatur natura, Deus homo factus est, id quod fuit permansit, & quod non erat assumptis, &c. Quibus verbis, clare videtur enuntiare Ecclesia, quod utraque Christi natura, divina scilicet & humana, per Incarnationem fuit innovata, cum dicat in plurali, innovatur natura, & hanc innovationem statim exponat, addens, Deus homo factus est.

35 Secundum fundamentum est ex auctoritate D. Leonis ser. 2. de natiuitate, ubi sic ait, Adveniens ergo temporibus, dilectissimi, qui redemptioni hominum fuerant praesentia, ingrediens hac infirma Jesus Christus Dominus vester, de Caesari sede descendens, & a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova natiuitate generatus. Novo ordine, quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris... Nova au-

tem natiuitate generatus est, conceptus a Virgine, natus ex Virgine, sine paterna carnis concupiscentia, sine materna integritatis injuria. Idemque repetit in Epistola ad Flavianum.

Tertio plurimi Patres intellexerunt de Incarnatione illud Jeremiae 21. Creavit Dominus novum super terram, & nomina circumdabit eam. At si est novum quod in Incarnatione, Deus est innovatus: Ergo &c.

Quarto arguitur ratione: Sicut (inquit) novum fuit homini fieri Deum, ita & Deo novum fuit fieri hominem, & sicut natura humana novo & iocustato modo se habuit, cum fuit unita personaliter Verbo; ita & Verbum, cum fuit unitum humanitati: Ergo sicut natura humana, ita & Verbum Divinum, in Incarnatione innovatum est.

Hac tamen levis & frivola sunt, ac facile dilui possunt. Ad primum enim responderetur, sensum illorum verborum, innovatur natura, esse quod aliquid insolitum omnibus rebus suo naturis contingit, quando Deus homo factus est, quia ut disputatione sequenti exponemus, per Incarnationis mysterium omnia iustaurata & veluti renovata sunt, propter novam dignitatem & excellentiam omnibus collatam, iuxta illud Pauli ad Ephes. 1. Deus proposuit in dispensatione plenitudinis temporum, instruat omnia in Christo, qui in caelis & qui in terra sunt. Si quis autem contemdat, praedicta verba ad divinam & humanam naturam referri, dicendum est, illa debere intelligi de novitate dumtaxat extrinseca, & impropria: non vero de propria & intrinseca. Tum quia ipse Adversarius n. 99. ait absurdum esse cogitare quod innovatio aliqua contingere poterit Verbo, secundum naturam & substantiam divinam: male ergo inserit Verbum esse innovatum intrinsece ex verbis illis Ecclesiae, quae si veram & intrinsecam innovationem in Verbo significant, discrete dicant Deum esse innovatum secundum naturam, seu naturam Dei per mysterium Incarnationis innovatum esse. Tum etiam, quia ipsa etiam humana Christi natura, non est improprie & intrinsece per Incarnationem innovata: quod enim vere & proprie innovatur, transit a veteri statu in quo aliquo tempore fuit, ad novum; humanitas vero Christi non exiit nullo tempore ante Incarnationem, sed in ipso primo instanti quo fuit formata, fuit Verbo unita, ut infra dicemus. Ad id quod si ex parte humanitatis admitti deberet innovatio propria & intrinseca, ponenda esset innovatio intrinsece immutans: unde verba illa Ecclesiae, innovatur natura, non solum innovationem, sed etiam mutationem in divina & humana Christi natura exprimerent, quod absurdum & erroneum est. Nec obstat quod D. Thomas, paragrapho sequenti referendus, doceat in mysterio Incarnationis intervenire mutationem ex parte naturae humanae quae assumitur: loquitur enim de mutatione improprie & large sumpta; & solum intendit in hoc mysterio humanitatis perfecti a Verbo, & non Verbum ab humanitate; non vero de mutatione stricta & propria; quia ut docent Philosophi in secundo physico, ratione mutationis strictae & rigorosae est, quod subiectum in aliquo instanti manserit sub privatione formae aut perfectionis per quam mutari dicitur, ut de non esse formae ad esse illius transire dicatur.

Ad secundum dicendum, D. Leonem verbis relatis solum voluisse asserere, quod temporalis Christi natiuitas est nova, si comparatur ad aliorum hominum natiuitates, ut patet ex verbis quae habet pagina sequenti, ubi totum suum discursum sic concludit: Est nobis cum Christo natura consimilis, sed origo dissimilis, quia Christus natus est ex Virgine, per Spiritum Sancti operationem, nos generatione carnali ab utroque parente ortum habemus: operante enim quod Christus novo ordine nasceretur, qui novam impellens sinceritatis gratiam humanis corporibus insereret.

Ad tertium dico, verbis illis Jeremiae, Creavit Dominus novum super terram. &c. significari quidem per Incarnationis mysterium plura nova & insolita contigisse: tunc enim femina virum suo utero circumdedit, cum Maria concepit, & novem menses in utero portavit Christum, quia primo suae conceptionis instanti fuit vir, cum tunc istam rationis habuerit, & scientia, & prudentia, & sapientia repletus fuerit; non tamen per haec verba Scripturam asserere, vel intendere, quod ipse Deus per tale mysterium innovatus sit.

Ad quartum dicitur fuisse novum & insolitum Verbo uniti naturae humanae in unitate personae, sicut fuit Deo novum, & insolitum agere ad extra, quando creavit mundum; unde fuit actio Dei ad extra, non ponit in Deo innovationem intrinsecam, sed tantum extrinsecam, ratione nova terminationis ad creaturas; ita terminatio activa substantiae Verbi Divini, respectu humanitatis assumpta, nullam importat in ipso innovationem intrinsecam, sed dumtaxat extrinsecam, & pure terminativam, quae sicut ad intrinsecam mutationem non sufficit, ita nec ad innovationem intrinsecam sufficiens debet censeri, ut magis ex dicendis paragrapho sequenti patebit.

§. VI.

Trahitur vera solutio difficultatis propositae.

Pro vera solutione hujus gravissimae difficultatis, dicendum est, ideo Verbum per Incarnationem intrinsece mutatum non esse, quia non est humanitatis subiectum, nec unionis realiter ab illo distincte, sed solum intrinsece terminans; nec factum fuit homo ratione potentiae passivae recipiendo humanitatem, vel aliquid a se distinctum, sed solum ratione terminationis, terminando scilicet, & personando naturam humanam: Ut autem Verbum intrinsece mutaretur, necesse erat ut fieret humanitatis subiectum, illam recipiendo intrinsece ratione potentiae passivae & receptivae; cum enim mutatio sit actus existentis in potentia, prout in potentia, ut aliquid mutetur intrinsece, requiritur quod intrinsece recipiat terminationem mutatione productam.

Hanc rationem assignat D. Thomas in 3. dist. 1. q. 1. art. 1. ad 1. ubi ait: Ad primum dicendum quod contingit aliquando in rebus aliquid relativum dici, non quia ipsum referatur, sed quia alterum referatur ad ipsum, ut dicitur in 5. Metaph. sicut scibile relativum dicitur ad scientiam, in rebus aliquid incipit dici de novo quod prius non dicebatur, nulla mutatione facta circa ipsum, sed circa alterum: nulla enim mutatione facta circa scibile, incipit a me esse scitum, per mei mutationem: Et similiter dicitur res scibilibus, non per potentiam passivam quae sit in ipsa, sed per potentiam quae est in sciente; Et sic est in proposito, non enim potest esse ut Creatura ad Creaturam referatur, nisi quia creatura ad ipsum referatur, in qua relatio realiter existit; Et ideo Deus dicitur uniri, non per mutationem sui, sed ejus cui unitur; Et similiter cum dicitur unibilis, hoc dicitur, non per potentiam aliquid quam passivam in Deo existentem, sed per potentiam quae in creatura est, ut uniri possit. Eandem solutionem tradit hic q. 16. art. 6. ad 2. ubi docet tunc solum intervenire mutationem in eo quod de novo fit aliud, quando illud est absolute: Non enim (inquit) potest aliquid aut magis de novo adventu aliquid, nisi per hoc quod de novo mutetur ad albedinem vel magis albedinem, in vero quae relative dicuntur, passiva sunt de novo praedicari de aliquo, absque ejus mutatione: sicut homo de novo fit doctus absque sui mutatione, per motum illius qui sit et sustinet... esse autem hominem convenit Deo ratione unionis, quae est relatio quadam, & ideo esse hominem praedicatur de novo de Deo, absque ejus mutatione, per mutationem naturae quae assumitur in divinam personam.

Porro hujus responsionis sensus non est ille quem imaginatur Valentia, qui existimat D. Thomam locis citatis docuisse, quod homo non sit quod absolute, sed aliquid relative de Deo dictum: hoc enim aperte falsum est, sed tantum Doctor Sanctus, ut immutabilitatem Dei cum ejus incarnatione conciliat, comparat in illis locis denominationem hominis respectu Dei, cum denominationibus relativorum tertii generis, non quantum ad substantiam (ut putavit Valentia) sed quantum ad modum: ita ut integer solutionis sensus sit, quod quando forma est omnino absoluta, hoc est & quoad rem ipsam, & quoad modum denominationandi, tunc necessario interit mutationem in subiecto cui adventu de novo: si autem forma relativa sit, vel quoad rem, quia respicit relatum, vel quoad modum, quia licet absoluta in re, denominat tamen per modum relativi, tunc non inducit mutationem: sic autem est, quod est forma hominis sit absoluta in re, non tamen denominat per modum absoluti, sed relativi; qui modus consistit, ut ipsemet S. Doctor explicat loco ex tertio sententiarum adducto, in hoc quod forma hominis non denominat Deum ratione alienius potentiae passivae in ipso existentis, sicut denominat aliae forma absolute sua receptiva creata, sed ratione potentiae passivae quae est in ipsa natura humana, ad hoc ut uniaturo Deo: sicut in relativis tertii generis, res non dicitur scibilibus per potentiam passivam quae sit in ipsa, sed per potentiam quae est in sciente: Ex quo recte concluditur, quod sicut res creata absque ulla sui mutatione per solum scientiam mutationem, scita denominatur; ita & Deus dicitur homo, per solum humanam naturam mutationem, eo quod omnis mutationis subiectum, necesse sit esse in potentia ad illud per quod mutatur. Unde ad argumentum initio paragraphi tertii propositum, in forma respondeo, concessa Majori, negando Minorem, licet enim Verbum factum fuerit intrinsece homo, quod ante incarnationem non erat, quia tamen non factum fuit homo, recipiendo in se humanitatem, ratione potentiae passivae, sed illam terminando & personando, absque ulla potentialitate, non se habuit aliter intrinsece in se post incarnationem, quam antea. Quod si hoc vobis dissimile & mirabile appareat, memento (inquit) Cajetanum infra quest. 16. art. 6. circa solutionem secundum argumentum) quod nihil est mirabilius, quam Verbum caro factum esse, post Trinitatis arcana.

Dices primo: Si per impossibile persona Angeli humanae natura uniretur, mutaretur intrinsece, & tamen il-

lam in se non reciperet, sed dumtaxat terminaret. Item si personalitas creata produceretur separata a natura, & postea illi uniretur, intrinsece mutaretur; & tamen personalitas creata non esset subiectum naturae, sed tantum terminus: Ergo quod Verbum sit homo non recipiendo, sed terminando humanitatem, non tollit, quominus per incarnationem intrinsece sit mutatum. Idem argumentum potest fieri de anima rationali, qua in resurrectione, cum sui mutatione uniretur de novo materiae, etiam si non habeat rationem subiecti respectu illius.

Respondeo, dato Antecedente, negando consequentiam & paritatem: triplex enim potest assignari ratio discriminis. Prima est, quia personalitas creata, cum sit entitas quaedam incompleta, & modalis, ex unione ad naturam completur & perficitur: unde quamvis non recipiat naturam, tamen ex unione ad illam mutatur. Personalitas autem increata Verbi Divini, cum sit completissima, non completur nec perficitur per unionem ad naturam humanam, sed potius illam complet & perficit, subindeque cum illam in se non recipiat, sed tantum terminat, non mutatur intrinsece ex unione ad illam.

Secunda est, quia substantia creata non solum terminat naturam, sed etiam in illa recipitur, forma vero mutatur receptione sui in subiecto: Verbum autem Divinum, nec recipit humanitatem, nec recipitur in illa, sed est purus terminus illius, & idcirco non mutatur. Tertia est, quia Verbum unitur humanitati immediate, & sine unione ab illo realiter distincta, & in ipso recepta: Angelus autem, si uniretur naturae humanae, non conjungeretur illi immediate, sed mediante aliquo nexu seu modo unionis, in ipso recepto; unde licet non mutaretur intrinsece per humanitatem terminatam, bene tamen per unionem receptam. Idem dicendum de personalitate creata, qua produceretur separata a natura, & postea illi uniretur, & de anima rationali cum in resurrectione de novo uniretur corpori factum in illorum sententia, qui nodum unionis inter materiam & formam admittunt.

Dices secundo: Verbum est humanitatis subiectum, & non solum terminans: Ergo acquirere humanitatem de novo, est intrinsece mutatum. Cuiusque patet ex supra dictis, Antecedens probatur. Habens formam in se, est subiectum talis formae: Sed Verbum habet in se humanitatem, cum sit vere & intrinsece homo, & homo idem sit quod habens humanitatem: Ergo vere & realiter est humanitatis subiectum.

Confirmatur: ut Verbum dicatur intrinsece homo, debet natura humana fieri intrinseca: Sed non potest fieri illi intrinseca, nisi recipiatur in illo; impossibile enim est, aliquid intrinsece alteri, fieri ipsi intrinsecum, absque intrinseca sui receptione: Ergo &c.

Ad instantiam, nego Antecedens, ad cuius probationem, nego Majorem; nam habere formam abstractam ab hoc quod est habere illam receptive, & habere illam personaliter, seu terminative: habens formam primo modo, est subiectum illius; habens vero illam secundo modo, non est ejus subiectum, sed terminus: quare cum Verbum Divinum non sit habens naturam humanam receptive, aut subiective, sed personaliter tantum & terminative, non est humanitatis subiectum, sed terminus ejus intrinsecus, eam intrinsece perficiens, complex, ac terminans quod sufficit ut natura humana dicatur ei intrinseca. Unde ad confirmationem, concessa Majori, neganda est Minor; aliquid enim extrinsecum, potest alteri fieri intrinsecum, absque intrinseca sui receptione, per hoc scilicet quod ei intime conjungatur, vel ab ipso intrinsece terminetur: Verbum autem intrinsece terminat humanitatem, & illi intime & immediate unitur, ad unum per se cum illa constituendum.

ARTICULUS II.

Utrum possibilitas Incarnationis, seu unionis substantiae divinae cum natura creata, naturali lumine, ab intellectu creato evidenter cognosci possit?

§. I.

Quibusdam praemissis, difficultas duplici conclusione resolvitur.

Certum est, Incarnationem, prout importat unionem Verbi Divini cum natura humana, a nulla mente creata posse lumine naturali cognosci ut possibilem, cum nulla mens creata possit lumine naturali cognoscere Trinitatem personarum esse in Deo; ut enim dicitur Matth. 11. Nemo novit Filium, nisi Pater, neque patrem quis novit nisi Filius, & qui voluerit Filius revelare. Unde Basiliius Epist. 43. vocat Trinitatem, enigma novum, Gregorius Nissenus, enigma a communi sensu abhorrens, & Hormisdia Papa in Epist. ad Iulianum Imperat. cap. 1. secretum Trinitatis (inquit) nec ulla visibilium nec ulla visibilium creaturarum potuit investigare natura. Unde solum

solum difficultas est, an saltem possibilitas unionis subsistentia divina, secundum se & absolute considerata, & prout abstracta a subsistentia relativis, & personis in particulari, possit lumine naturali cognosci?

52 Partem affirmantem tenet Valentia hic puncto 2. ubi licet concedat existentiam Incarnationis non posse ab illo intellectu creato lumine naturali cognosci, vult tamen ejus possibilitatem posse ab illo cognosci evidenter, cognitione saltem imperfecta, cum ad hoc sufficiat (inquit) solve- re evidenter omnia argumenta, qua fiunt ad ostenden- dum illum esse impossibilem. Medina vero hic q. 2. in- troductoria, distinctione utens, fatetur quidem id esse impossibile, absolute loquendo, & non supposita revela- tione hujus mysterii, contendit tamen revelatione illius presupposita, id esse possibile. Contra hos Auctores, pro adversa, quae communis est sententia.

Dico primo: Solo lumine naturae non potest, etiam notitia imperfecta, possibilitas Incarnationis, seu unionis subsistentia divina cum aliqua natura creata, evi- denter cognosci.

53 Probatur primo ex Scriptura, nam ad Ephes. 3. Incar- natio vocatur sacramentum absconditum a saeculis in Deo, id est in sola Dei notitia, ut explicat Glossa. Ad Colos- senus 1. Mysterium absconditum a saeculis, & 1. ad Corinth. 2. Sapientia in mysterio abscondita, Et Apocal. 5. liber quem nemo in caelo aut in terra aperire poterat, & cuius solus Deus potuit signacula solvere, per suam re- velationem.

54 Favent etiam Concilia & SS. Patres, in Ephesino enim part. 3. c. 13. Incarnatio revocatur inprehensibilis & In- narrabilis, ex Cyrillo Alexandrino in Epist. ad Reginas, antiquo sacrificium quod nulla mens creata potest intellige- re, & Chrysost. hom. 4. in Matth. invenitur in eos qui putant hoc mysterium posse humanis cogitationibus com- prehendi, aut humanis vocibus explicari. Item Leo Papa, maximus hujus mysterii Interpres, ait Sem. 9. de nativ. Utinamque substantiam Dei & hominis, in unam con- venisse personam, nisi fides crederet, sermo non explicat. Et August. Epist. 3. ad Volstantum de hoc mysterio dicit: Ex- ceptum Deum aliquid posse, quod nos agnoscimus investigare non posse. Denique Dionysius c. 2. de divin. nom. sic habet: Jesu in carne apparuit, & ineffabilis est sermo omni, & omni ignota intelligentia, istud quoque antiquissimum An- gelorum primatum non satis profectum. Unde egregie Bernar- dus: In splendoribus enim Sanctorum ante Luciferum gen- tibus Sol avertit, in umbra & caligine natus est ex sinu tenebrarum, a Spiritu Sancto maris. Sola ergo fidei caelitas illum videt, sola caligo illum percipit, & ut de Deo loquitur Dionysius, sola negatio illum manifestat.

55 Dicit forte aliquis, haec testimonia posse ita explica- ri, quod non potuit sine revelatione cognosci quod erat facta aut futura Incarnatio, sed non quod non potuerit cognosci possibilis.

Sed contra, Quando aliquid mysterium dicitur incogno- scibile, incomprehensibile, & investigabile menti creatae, tunc innuitur, quod illud nedum ut existens, aut futurum, sed neque etiam ut possibile, ab intellectu creato, lumi- ne naturali cognosci possit; ea enim quae ut possibilis & nul- lam contradictionem involventia, lumine naturali cognosci possunt, non dicuntur incomprehensibilia & investigabi- lia, sed sicut dicitur quod in suo conceptu contradictionem implicare videntur, quam ratio naturalis propriis viribus & naturali lumine superare non valet: At a Conciliis & a SS. Patribus citatis, Incarnationis mysterium incom- prehensibile & investigabile dicitur: Ergo innuunt illud, ne- dum ut existens, aut futurum, sed nec etiam ut possibile, posse lumine naturae cognosci. Adde quod Apostolus 1. ad Corinth. 2. loquens de hoc mysterio, ait illud in cor hominis non ascendere: quibus verbis satis aperte declarat, illud nullo plane modo, nec ut existens, nec ut futu- rum, nec ut possibile posse ab intellectu creato lumine naturali attingi. Et D. Augustinus Epistola citata ad Vo- lstantum expresse loquitur de possibilitate Incarnationis, dum ait, Deum se incarnando fecisse aliquid quod non possumus intelligere, quomodo Deus id possit.

56 Probatur secundo conclusio ratione fundamentali: Lu- men naturale intellectus non se extendit nisi ad ea quae sunt intra ordinem naturae, aut in esse entis, aut saltem in esse veri & cognoscibilis: Sed possibilitas Incarnationis est supra totum ordinem naturae tam in esse entis, quam in esse veri & cognoscibilis: Ergo lumen naturale intel- lectus, ad possibilitatem Incarnationis se extendere ne- quit. Major est evidens, quia inter obiectum & poten- tiam debet esse proportio. Minor probatur: illud est su- pra totum ordinem naturae, tam in esse entis, quam in esse veri & cognoscibilis, quod nedum est in sua entitate supernaturali, sed etiam non habet aliquam connexionem cum aliqua causa aut effectu naturali: At possibilitas Incarnationis, nedum est in se supernaturalis, sed neque ullam habet connexionem cum aliqua causa aut effectu naturali: licet enim nunquam existeret, nec esset possi- bilis Incarnatio, adhuc res omnes naturales essent eo

modo quo sunt: Ergo possibilitas Incarnationis est super- naturalis, & in esse entis, & in esse veri & cognoscibilis.

Dices, ex cognitione omnipotentia Dei quae naturaliter cognosci & demonstrari potest, posse nos devenire in notitiam possibilitatis Incarnationis, cum per discursum natu- ralem, ex eo quod Deus est omnipotens, possumus bene inferre possibilitatem unionis inter humanam naturam, & divinam personalitatem.

Sed contra: Licet causa Incarnationis sit divina om- nipotentia, & intellectus creatus naturaliter cognoscit potentiam Dei non esse addictam ad unum rerum ordi- nem, qualis est ordo naturae, sed posse aliquid supra- naturalem, ex eo quod Deus sit omnipotens, possumus bene inferre possibilitatem unionis inter humanam naturam, & divinam personalitatem.

Sed contra: Licet causa Incarnationis sit divina om- nipotentia, & intellectus creatus naturaliter cognoscit potentiam Dei non esse addictam ad unum rerum ordi- nem, qualis est ordo naturae, sed posse aliquid supra- naturalem, ex eo quod Deus sit omnipotens, possumus bene inferre possibilitatem unionis inter humanam naturam, & divinam personalitatem.

Prima pars hujus conclusionis patet ex dictis in prece- denti, nam adhuc supposita revelatione hujus mysterii, non potest ratio naturalis, nisi naturales causas & effectus cognoscere: At ex illis nequit naturaliter cognosci pos- sibilitas Incarnationis, ut supra ostensum est: Ergo etiam supposita revelatione Incarnationis, ejus possibilitas ratio- naturali demonstrari nequit. Quod vero probabiliter suaderi possit, etiam constat: inferri enim per conjunc- tionem ad superius perficitur intra ordinem proprium, atque adeo est humana ratio, fidei lumine destituta, rationes probabiles invenire non possit suadentes possibili- tatem & convenientiam hujus mysterii, revelatione tamen & Illustratione divina excitata, eas invenire poterit unde disputatione sequenti plures illius congruentias seu probabiles rationes adducemus.

S. II.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primo contra primam conclusionem. Incarna- tionem Dei esse possibilem, nihil aliud est quam ipsam non implicare contradictionem: Sed potest intellectus creatus, sola natura quam ad intelligendum habet virtute, evidenter cognoscere illam non implicare contradic- tionem: ergo & esse possibilem. Major constat. Minor probatur primo. Ad evidenter cognoscendum Incarnationem Dei nullam implicare contradictionem, sufficit evidenter solvere omnia argumenta quae fiunt in oppositum; hoc enim supposito, manifestum relinquatur nullam esse talem contradictionem: Sed potest intellectus creatus, juxta do- ctrinam D. Thomae 1. p. quae 1. art. 8. evidenter solvere omnia argumenta quae fiunt contra fidem, atque adeo contra possibilitatem Incarnationis: Ergo potest intellectus creatus solo lumine naturali evidenter cognoscere. Incarnationem Verbi non implicare contra- dictionem.

Secundo, Tota implicatio contradictionis in possibili- tate hujus mysterii excogitabilis, vel se tenet, ut dixi- mus articulo precedenti, ex parte divina subsistentia, vel ex parte naturae creatae, aut ut fides docet, ac- sumpta. Sed potest intellectus creatus valde perfectus, qualis est angelicus; sola quam a natura habet intelligen- di facultate, cognoscere evidenter Deum incarnari, nul- lam involvere contradictionem, nec ex parte divina sub- sistentia, quia naturaliter videt, illum habere infinitam virtutem terminativam, atque adeo posse in terminando naturam creatam, illum idem perfectionis praestare quod personalitas creata illi praebet: neque ex parte naturae creatae: scilicet enim scientia parte naturali, eam esse reali- ter distinctam; immo priorem propriam personalitate, nec non se habere ad illam, sicut rem ad suum modum, atque adeo nullam esse implicantiam quod ab eo per ab- solutam Dei potentiam separetur, & consequenter divina subsistentia terminetur: Ergo &c.

Respondet, concessa Majori, negando Minorem, ad 61 cuius primam probationem, distinguo Majorem: Ad evi- denter cognoscendum Incarnationem Dei nullam impli- care contradictionem, sufficit evidenter solvere omnia argumenta quae fiunt in oppositum: evidenter positive, concedo Majorem: evidenter negative, nego Majorem: Similiter distinguo Minorem: potest intellectus creatus evidenter solvere omnia argumenta quae fiunt contra pos- sibilitatem Incarnationis evidenter negative, concedo Minorem, & Consequentiam.

Explicatur solutio: potest aliquid mysterium demon- strari possibile evidenter duobus modis, positive scilicet, & negative. Tunc dicitur demonstrari possibile evi- denter positive, cum probatur mediis naturalibus possibilem esse

esse connexionem predicati cum subiecto, v. g. Dei cum homine, dicitur vero ostendi possibile evidenter negati- ve, quando ostenditur nihil reperiri quod evidenter probet illud mysterium esse impossibile, & salvantur argu- menta quae fiunt contra possibilitatem ejus: v. g. si in- fidelis argueret contra fidem, hoc modo: Omnis natu- ra quae est una numero, est etiam una supposito: Sed natu- ra divina est una numero: Ergo est etiam una supposito: Fidelis autem distinguere Majorem, dicens eam esse veram in naturis finitis, non vero in natura infinita, & assereret nullo modo posse probari de natura infinita, quod sit una in supposito; tunc evidenter negative pro- baret possibilitatem mysterii Trinitatis: Si vero prae- rea ipse fidelis (quod tamen fieri nequit) haberet me- dium evidens, quo hanc propositionem demonstraret: Natura infinita potest esse in tribus suppositis realiter di- stinctis, in tali casu probaret evidenter positive possibi- litem mysterii Trinitatis. Dicimus ergo quod licet in- tellectus creatus solo lumine naturali solvere possit omnia argumenta, quae militat contra possibilitatem Incarnationis, quia tamen ea non potest solvere evidenter positive, sed dumtaxat evidenter negative, non potest evi- denter cognoscere, vel demonstrare, tale mysterium esse possibile, sed dubitare potest, an aliqua principia natu- ralia sibi divinitus saltem sint occulta, ex quibus ali- qua hujus mysterii implicatio deduci possit. Unde

63 Ad secundam probationem, nego quod evidenter pos- sive lumine naturali intellectus creatus possit cognoscere, Incarnationem non implicare contradictionem, tam ex parte subsistentia divina, quam naturae creatae: licet enim ex parte subsistentia Dei cognoscere possit evidenter illam esse infinitam in terminando, dubitare tamen potest, num de ratione essentiali termini naturae creatae sit esse modum, vel ens incompletum, cum videat hae subsistentia creata convenire. Ex parte vero naturae creatae, ex eo quod cog- noscat naturaliter, eam esse priorem sua subsistentia, & ab illa separabilem; solum potest inferre, eam per poten- tiam Dei absolutam, ab hac vel ab illa determinate prop- ria subsistentia separabilem esse, non vero illam absque omni propria subsistentia posse existere, sicut licet materia, ob distinctionem realem quam habet a forma, pos- sit, de absoluta potentia, absque hac vel illa forma de- terminata existere, non tamen absque omni, ut docent nostri Thomae in physica. Unde ex separabilitate natu- rae creatae a propria subsistentia, non potest intellectus creatus, solo lumine naturali, evidenter demonstrare, possibile esse naturam creatam terminari per divinam sub- sistentiam, sed ad summum posse hanc subsistentiam de- stitui, & aliam factam loco illius succedere.

64 Obijcies secundo: Incarnatio Verbi est evidenter credi- bilis, & ut de omnibus mysteriis fidei, fuisse ostendimus in Tractatu de fide disp. 1. art. 8. Ergo etiam est evidenter possibilis. Patet Consequentia arguendo ex opposito Con- sequentis, ad oppositum Antecedentis: Quod est evi- denter impossibile, est evidenter credibile: Ergo per oppo- situm, quod est evidenter credibile, est evidenter possi- bile.

65 Respondet, concessa Antecedente, negando Conse- quentiam: nam evidenti possibilitatis mysteriorum fidei, & evidenti credibilitatis, sumuntur ex diversis principiis: Evidentia enim possibilitatis, sicut & veritatis, sumitur ab eo quod est in re, juxta illud commune proloquium: Ab eo quod est in re, propositio dicitur vera vel falsa, possibilis vel impossibilis; evidenti autem credibilitatis non desumitur ab eo quod est in re, sicut nec evidenti probabilitatis; nam multa falsa sunt probabiliora & credi- biliora veris, ut ait Aristoteles in lib. Rhetor. sed sumit- ur ab aliis causis extrinsecis, videlicet ex testimoniis aliorum, vel ex signis, & miraculis, vel ex rationibus apparentibus, quibus evidenter ostenditur, rem esse cre- dibilem, aut probabilem. Ad probationem in contrarium, nego illud argumentum: Quod est evidenter impossibile, est evidenter incredibile: Ergo quod est evidenter credibile, est evi- denter possibile, esse ab opposito Consequentis, ad oppo- situm Antecedentis, quia evidenter impossibile, & evi- denter possibile, non contradicunt, ratione illius adverbii evidenter; sed de eadem re negari possunt, ut patet in rebus quae cadunt sub opinione, v. g. quod essentia potest separari de potentia absoluta a proprietatibus; hoc enim nec est evidenter possibile, nec evidenter impossi- bile: quare ut argumentum esset ab opposito Consequen- tis, ad oppositum Antecedentis, deberet sic formari: Quod est evidenter impossibile, est evidenter incredibile. Ergo quod non est evidenter incredibile, non est evidenter impossi- bile, quod totum admittitur.

66 Obijcies tertio: Quod Deus praesit ut auctor naturae evidenter cognoscit, potest evidenter ab intellectu creato lumine naturali cognosci: Sed Deus praesit ut auctor natu- rae, evidenter cognoscit possibilitatem suae Incarnationis: Ergo intellectus creatus potest lumine naturali eam evidenter cognoscere. Major videtur certa, sicut enim Deus potest communicare, immo de facto communicat in-

tellectui creato lumen supernaturale, ejus virtute evi- denter cognoscit illud de quo ipse, ut auctor supernatu- ralis, habet evidentiam; ita similiter poterit idem intel- lectui lumen naturale infundere, quod sufficiat ad evi- denter eorum cognitionem, quae auctor naturae praesit videt & intuetur. Minor vero probatur: cum Deus, etiam ut auctor naturae praesit, comprehendat suam subsistentiam, quia videlicet ut talis comprehendit ea omnia quae naturaliter sunt cognoscibilia a creatura, inter quae nu- meratur ejus subsistentia, videt eam posse naturam crea- tam terminare.

67 Pro solutione hujus objectionis, adverte quod cum di- stinctio Dei & cognitionis ejus ut auctoris naturae, & ut auctoris supernaturalis, sit solum ex parte effectuum, ab eo in illis duobus ordinibus productorum & cognitorum, non vero ex parte virtutis productivae & cognoscitivae, Deus enim dicitur auctor naturae, non quia in ipso sit aliquid naturale, sed quia producti & cognoscit effectus naturales, quamvis potentia & scientia supernaturali; ideo nihil dicendum est ab eo praesit ut auctore naturae cog- nosci, nisi quod habet rationem effectus illius in ordi- ne naturali. Hoc postea, Respondet ad argumentum, ne- gando Minorem, & ad ejus probationem dico, falsum esse quod Deus ut auctor naturae cognoscit suam subsistentiam, atque adeo virtutem quam habet ad terminandum naturam creatam; cum enim, ut mox dictum est, non dicatur auctor naturae, nec in quantum talis praesit aliquid cognoscere, quia ei conveniat aliqua virtus natu- ralis cognoscitiva & productiva, sed solum quia illud quod a Deo cognoscitur & producitur, est ejus effectus intra ordinem naturae, eo ipso quod ejus subsistentia non sit ejus effectus, nec intra ordinem naturae comprehendatur, quamvis eam naturaliter quoad existentiam cog- noscat intellectus creatus, non potest tamen dici, quod Deus, ut auctor naturae praesit, eam ullo modo cognoscit.

68 Obijcies quarto contra secundam conclusionem: Ange- lus naturali lumine potest cognoscere existentiam Incarna- tionis postquam facta est: Ergo & a fortiori possibilitatem ejus. Consequentia patet, Antecedens probatur. Intel- lectus angelicus cognoscit naturaliter humanitatem Christi non terminari creatam subsistentia, cum comprehendat om- nia naturalia, inter quae tamen videt non esse subsistentiam creatam ejusdem humanitatis: Ergo cum certo sciat, nullam subsistentiam, praeter divinam & infinitam, posse terminare alienam naturam, statim colligit humanita- tem Christi esse elevatam ad subsistentiam divinam; quod est nosse mysterium Incarnationis.

69 Confirmatur: Angelus naturali lumine evidenter cog- noscit humanitatem Christi existere per existentiam divinam: Ergo eodem lumine potest cognoscere eam subsistere per divinam subsistentiam. Consequentia evidens est, paritate rationis; non minus enim est supernaturale humanitatem Christi existere per divinam existentiam, quam illam per incretam Verbi personalitatem subsistere & terminari: unde si primum potest ab Angelo naturali lumine cognosci, secundum etiam poterit eodem lumine attingi, non ob- stante ejus supernaturalitate. Antecedens vero probatur: Angelus intuitivo cognoscit Christi humanitatem: At non potest eam sic cognoscere, nisi evidenter cognoscere eam existere divina existentia, cum intuitu sit clara & distincta rei ut existentis cognitio: Ergo Angelus evi- denter cognoscit humanitatem Christi existere per existen- tiam divinam.

70 Confirmatur amplius: Demones cognoverunt certo Christum esse verum Deum & hominem: Sed non per aliud lumen quam naturale, cum per peccatum omnibus donis gratuitis & supernaturalibus spoliati sint: Ergo An- gelus naturali lumine potest cognoscere existentiam Incar- nationis, postquam facta est: Minor patet, Major vero probatur ex eo quod demon dicebat Christo Luca 4. Scio te quis sis, Sanctus Dei. Et infra subditur. Exibant autem demones a multis clamantes, & dicentes, quis tu es Filius Dei, & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.

Ad objectionem respondeo, negando Antecedens, ad cu- jus probationem dico, quod quamvis Angelus non videat in humanitate Christi subsistentiam propriam & creatam, seclusa tamen revelatione Dei, qui illi manifestet eam in Verbo subsistere, non potest certo & evidenter cog- noscere humanitatem Christi ad incretam Dei subsisten- tiam elevatam esse: Tum quia rationabiliter dubitare potest, an Deus utendo potentia sua absoluta, subsisten- tiam creatam & propriam humanitatis Christi ipsi occul- ter, seu concorsum ad eam cognoscendam denegat: Tum etiam, quia naturali lumine non potest certo cognosce- re, an suppositum incretum possit terminare naturam hu- manam, absque eo quod in Deo ponatur aliqua imper- fectio. Unde boni Angeli non videntes in Christi huma- nitate propriam subsistentiam, suspendebant iudicium de ejus divinitate & subsistentia increta; mali vero illud precipitabant, & modo in unam, modo in alteram par- tem propendebant.

ARTICULUS I

An convenienter fuerit Deum incarnari?

Ad primam confirmationem, nego Antecedens, ad casus probationem, concessa Majori, nego Minorem; licet enim Angelus intuitivo cognoscat Christi humanitatem, non tamen propterea evidenter cognoscit illam existentiam divinam. Ad illud vero quod adducitur in contrarium, dicendum est, non esse de ratione cognitionis intuitivae, quod attingat rem ut existentem formaliter, sed solum quod terminetur ad illam sub existentia, ut patet in visione externa, quae est intuitio sui objecti, & tamen non terminatur ad illud ut existentem formaliter, cum existentia sit extra latitudinem objecti potentiae visivae: unde ad hoc ut Angelus intuitivo cognoscat Christi humanitatem, sufficit quod ejus cognitio ad illam existentiam terminetur, nec requiritur quod cognoscat illam formaliter ut existentem existentia divina.

Ad secundam nego Majorem cum D. Thom. infra q. 1. art. 1. ad 1. sic dicente: Christus tantum innotuit hominibus, quantum voluit; non per id quod est vita aeterna, sed per quendam temporalis suae virtutis effectum, ex quo quibusdam hominibus habebat Christum esse Filium Dei; sed quia visus in eo quidam signa humanae infirmitatis videbant, non pro certo cognoscebant eum esse Filium Dei, & ideo dicitur eum tentare voluit. Et Similia habet opusc. 60. cap. ubi haec scribit: Demones non cognoverunt Christum certitudinaliter, propter infirmitatem carnis quam in ipso videbant, sed conjecturaliter, propter opera quae divinitus facta sunt; Unde super illud Lucae 4. Scio quod sis Sanctus Dei, dicit Glossa, id est, vehementer opinor, si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixionis, id est, crucifixi suggestissent, ut dicit Glossa 1. ad Cor. 2. Unde Rabanus super illud Matthei. 24. Multa posui sum per visum propter eum: Tunc diabolus demum intelligens per Christum se spolia sua amissurum, sicut prius per mulierem mortem intulerat, ita modo per mulierem vult Christum de manibus Judaeorum liberare, ut per eam vitam, mortis amittat imperium. Haec S. Doctor, quibus verbis aperte docet & probat, demones non habuisse certam, sed tantum conjecturalem de Christi divinitate notitiam: licet enim ex revelatione quam habuerant, dum erant viatores, scirent Deum esse incarnandum; tenebant tamen, an ista humanitas in individuo esset a Verbo assumpta, sed de hoc ob diversas rationes & conjecturas dubitabant, & modo in unam, modo in alteram partem propendebant. Unde quando Lucae 4. demon Chreilo dicebat, Scio te quis sis, Sanctus Dei, & quando demonia clamabant, Tu es Filius Dei, hoc dicebant solum dubitantes, & exploratorie, seu ut rem de qua dubitabant, explorarent. Nec obest quod ibidem Evangelista subdat, non sinitur ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum: nam particula quia, non sumitur ibi causaliter, sed hypotheticaliter & recitative: ita ut Lucas illam induxerit, non ad dandam rationem ob quam Christus non sinitur loqui demonia, sed ad explicandam quid erat illud quod Christus non sinitur ea loqui; quare horum verborum sensus est, Christus non sinitur demones dicere, se scire quod ille esset Filius Dei: quod Christus ideo prohibebat, tum quia illi mentiebantur, cum hoc non certo scirent, sed dubitantes; tum etiam, quia illi solum dicebant ad explorandum, juxta illud Ambrosii: explorando tentabant, & tentando explorabant.

DISPUTATIO III.

De convenientia incarnationis.

Ad articulum I. quae. I.

Quamvis mysterium incarnationis sit possibile, non tamen inde sufficienter habetur illud esse conveniens; quandequidem multa sunt possibilia, quae tamen non sunt convenientia. Unde olim quidam haereticus (testis Tertulliano initio libri de carne Christi, & Athanasio in orat. ad Adelphiom) existimantes incarnationem Christi esse possibilem, dicebant illam non esse Deo convenientem, sed potius supremam ejus majestatem indignam: Quare egregie idem Tertullianus de carne Christi cap. 4. Facilius creditur Jupiter Tantrae, quae civis, quam vero homo Christus. Ut ergo illorum haereticorum infamiam repellamus, & mundanae sapientiae, quae apud Deum stulticia est, sophistica diluamus, hanc disputationem instituissemus, in qua mirabiles hujus mysterii convenientias breviter exponemus. Prius tamen imploretur divini Numinis ope: Ut Deus Domini nostri Jesu Christi, pater gloriae, de nobis spiritum sapientiae & revelationis in agnitione ejus, illuminans oculos cordis nostri, ut sciamus quae sit spes vocationis ejus, & quae divinitus gloria haereticis est. Ad Ephesios 1.

Quia convenientia omnis, vel est quaedam habitudo sive relatio, vel saltem sine illa explicari nequit: mysterium autem incarnationis dicitur habitudo ad Deum, ad naturam humanam, & ad alias creaturas, sive ad totum universum, ut pote contentum aliquo modo in homine, scilicet tamquam in epigloquo suo, ut loquitur Philo, ideo de convenientia ejus per respectum ad illa tria agendum est. Unde

Dico primo, mysterium incarnationis esse conveniens Deo. Ita D. Thom. art. 1. q. 1.

Probatur primo ratione quam ibidem in corpore articuli insinuat, & quae breviter proponi potest. Conveniens est summo bono se summo modo communicare. Deus est summum bonum, & se summo & perfectissimo modo per incarnationem communicat: Ergo illa est convenientia Deo. Majorem probat D. Thom. ex D. Dionysio c. 1. de div. nomini. dicente bonum esse sui diffusivum. Minorem vero ostendit ex eo quod incarnatio sit perfectissima & maxima omnium communicationum Dei ad extra, quandoquidem per illam Deus ita se communicat homini, ut fiat unum substantialiter cum illo; & naturam creatam sic sibi conjungit, ut una persona fiat ex tribus, Verbo, anima, & carne, sicut dicit Augustinus 13. de Trinit.

Pro majore hujus egregii discursus elucidatione, in primis observandum est, Deum se communicare dupliciter, primo ad intra, & ab aeterno; secundo ad extra, & in tempore. Primo modo Pater aeternus communicat suam essentiam Filio per generationem, & Pater & Filius Spiritui Sancto per mutuam spirationem & dilectionem: secundo modo se communicat creaturis quadrupliciter, nimirum in ordine naturae, gratiae, gloriae, & unionis hypostaticae: quae quatuor genera communicationum designari & adumbrari videntur, per quatuor illa flumina, in quae fons paradisi terrestris dividebatur, & quibus universae terrae superfluae, nullis adhuc imbribus, nullis aquis fecundatae, initio mundi rigabatur.

Porro inter illas hoc versatur discrimen, quod in duabus prioribus Deus tantum sua bona largitur; in ordine quidem naturae, bona naturalia, & creaturis conaturaliter debita, esse, vivere, intelligere, essentiam, facultates, & potentias, aliaque familia ad donum creationis vel conservationis pertinentia; in ordine vero gratiae, dona gratuita, quae creaturis indebita, & ad ordinem supernaturalem spectantia, puta gratiam sanctificantem, virtutes infusas, dona Spiritus Sancti, & auxilia supernaturalia. At in posterioribus, non solum bona & dona sua, sed etiam seipsum communicat; cum hoc tamen discriminem, quod in ordine gloriae se communicat solum in esse intelligibili & intentionali, uniendo suam essentiam per modum speciei & formae intelligibilis mentibus bestiarum lumine gloriae percussis; in ordine vero hypostatico seipsum communicat in esse naturali & entitativo, quatenus suam naturam & substantiam substantialiter & personaliter humanae naturae conjungit.

Secundo advertendum est, communicationem aliquam posse dici majorem duobus modis, intensive scilicet & extensive; dicitur major primo modo, quando aliquid nobilius & perfectius communicatur; secundo vero, quando ad plura subiecta seu supposita se extendit. Unde communicatio ordinis gratiae, est major priori modo communicatione ordinis naturae, cum bona supernaturalia sint multo nobiliora & perfectiora naturalibus; e contra vero communicatio ordinis naturae potest dici major posteriori modo, communicatione ordinis gratiae: cum illa ad omnes universi creaturas se extendat, ista vero Angelis & hominibus peculiaris sit, & cum ut ait Augustinus serm. 11. de verbis Apostoli, Communis sit omnibus natura, non gratia.

Ex his facile intelligitur, quomodo communicatio quae facta est in mysterio incarnationis, sit omnium maxima, tam intensive, quam extensive: intensive quidem, cum illud quod humanitati assumptae communicatur, nempe ipsa substantia increata Verbi, sit infinita dignitatis & perfectionis, & omnia bona ad dona ordinis naturae, gratiae & gloriae in infinitum superet: extensive autem, cum non solum ad homines & Angelos, sed etiam ad omnes universi creaturas, in homine velut in epigloquo contentas quodammodo se extendat. Unde Joann. 3. Incarnatio dicitur facta, non solum ex amore hominis, sed etiam ex dilectione totius mundi: Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret; quia nempe per incarnationis mysterium non solum natura humana, sed etiam omnes aliae creaturae universi, ad divinam celsitudinem & existentiam quodammodo evecta sunt, & totus mundus mirum in modum nobilitatus & decoratus, atque ut ita dicam deificatus, ut suffus in tertia conclusione expendemus.

Probatur secundo conclusio alia ratione quam insinuat S. Thomas in argumento sed contra, quae sic potest formari: Opus

Opus in quo omnes Dei perfectiones summopere splendunt, est ipsi convenientissimum: Sed in opere incarnationis Dei mirum in modum omnia ejus attributa sive perfectiones divinae relucunt: Ergo illud opus fuit Deo convenientissimum. Major est certa; conveniens enim est Deo, ut per visibiles effectus sua invisibilia attributa demonstret, cum ad hoc perfectum totus mundus sit factus, juxta illud Apostoli ad Roman. 1. invisibilia Dei per ea quae facta sunt &c. Minor vero probatur: Attributa sive perfectiones divinae sunt praesertim omnipotentia, sapientia, bonitas, justitia & misericordia; ad illas enim reducuntur cetera omnia, ut providentia ad sapientiam, liberalitas & magnificentia ad bonitatem, & sic de aliis; in opere vero incarnationis quinquae illa attributa mirum in modum resplendent, ut patebit discurrendo per singula.

In primis ergo quoad omnipotentiam, manifestum est illam mirum in modum relucere in hoc mysterio, cum non videatur posse extendi Dei potentia ad illum opus majus, quam illud, quo homo fit Deus, & Deus homo: unde opus incarnationis, propter sui excellentiam, antonomastice in Scriptura, quae Dei dicitur: Habebat 3. Dominus opus tantum, in medio annorum visibilis illud. Hanc 28. Ut faciat opus suum, aliter opus ejus, ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo. Et Psal. 8. Caeli, luna, & stella, opera digitorum Dei esse dicuntur. Incarnatio vero Lucae 1. vocatur a Beata Virgine opus omnipotentis brachii Dei, ut innumeret illam esse excellentissimum & perfectissimum fieri non posse. Nam ut dicitur D. Thom. 1. p. q. 25. art. 6. ad 4. Humanitas Christi ex hoc quod est unita Deo, & beatitudo creata ex hoc quod est fructio Dei, & Beata Virgo ex hoc quod est Mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam, ex hoc infinito quod est Deus; & ex hac parte non potest aliquid fieri melius est, sicut non potest aliquid melius esse Deo. Unde Divus Bernardus sermone 3. in vigilia Nativitatis: Tres mixturae fecit omnipotens in assumptione nostra carnis, tria opera ita singulariter mirabilia, & mirabiliter singularia, ut talia neque facta sint, neque facienda sint amplius super terram: conjunctio quippe sunt ad invicem Deus & homo, mater & virgo, fides & caritas humana. Prima mixtura voluit Deus infirmiora nostra abundantiori gloria sublimare, & contraxit se majestas, ut quod melius habet, videlicet seipsum, limo nostro conjungeret, & in persona sua sibi invicem uniret Deus & limus, majestas & infirmitas tanta, vilis & sublimitas tanta: nihil enim Deo sublimius, nihil vilis limo, & tamen tanta dignitate Deus descendit in limum, tantaque dignitate limus ascendit ad Deum, ut quidquid in eo Deus fecit, limus fecisse crederetur; quidquid limus perulit, Deus in eo perulisse dicitur, tam ineffabili quam incomprehensibili Sacramento, &c.

Addivo divinam omnipotentiam maxime fulgere in eo quod tanto & tam mirabili federe utramque naturam conservavit, ut nec inferiorem consumeret glorificatione, nec superiorem minueret assumptione, ut loquitur Leo Papa serm. 1. de Nativitate. Vidi Moyses Rubrum qui ardebat & non consumebatur, & pra admiratione exclamavit, & dixit: Vadam & video visum hanc magnam, quare non comburatur rubus? In quo mysterium incarnationis prafiguratum fuit, ut docet Ambrosius super cap. 6. Apocal. nam rubus spinosus humanam naturam, variis miseriis & defectibus obnoxiam, flamma vero Divinitatem figuravit. Rubus ergo ardebat, & non comburebatur, quia in incarnatione, sicut Divinitas non est mutata in humanitatem, ut amitteret quod erat, sic nec humanitas Divinitate consumpta, aut in divinam transmutata naturam, ut dicebant olim quidam haeretici, quos disputatione proemiali impugnavimus, sed ex duabus substantiis humanitatis atque divinitatis inter se conjunctis, unum constituitur Christus, & ut ait D. Leo Epistola ad Flavianum: Tenet simul proprietatem suam utraque natura, & sicut forma servit, Dei forma non admittit; ita forma Dei, servit forma non minuit.

Demum in hoc mysterio adeo elucet divina potentia, ut Gregorius Nissenus asserat, libro Catech. cap. 24. Naturam omnipotentem ad humana naturam utilitatem potuisse descendere, majus esse potentia argueretur, quam ingenita quilibet ac sustinenda miranda. Etenim magnum aliquid & excelsum elaborare divinam potentiam, naturae quodammodo consentaneum est, & consequens, &c. At vero delapsus ille ad id quod dejectum est & humile, abundantius quadam est potentia, quae nec in illi quidem, quae sunt praeter naturam impediti potest. Quomodemum ignem sursum niti, nemo miratur: eundem vero si deorsum, gravium corporum more, ferri videamus, tunc in admirationem rapimur, si ergo (subdit idem S. Doctor) divinam praesentemque vim ac potentiam: non caelestium globorum magnitudines, non siderum splendores, non ille ornatus universi, non peritus rerum administratio adeo demonstrat, ut illa Dei ad naturam nostram imbecillitatem descendo.

Elucet secundo in hoc sublimi & admirabili mysterio divina sapientia, tanto cum splendore, ut D. Thom. 4. contra

Gent. cap. 54. merito dicat: Quod si quis diligenter & pie incarnationis mysteria consideret, inveniet tantam sapientiam profunditatem, quod omnem humanam cognitionem excedat: secundum illud Apostoli 1. ad Corinth. 1. Quod solum Dei, sapientiae est hominibus. Unde sit ut pie considerari semper magis ac magis admirabiles rationes hujusmodi mysterii manifestentur. Et D. August. de se testatur in libro Conf. quod non satiatur dulcedine admirabili considerare altitudinem consilii divini super salutem generis humani. Certe mirabilis sapientiae fuit invenire modum tam admirabilem conciliandae Dei justitiae vindictivae, cum sua misericordia, qualem in hoc mysterio conspicimus: Nam ut dicitur D. Augustinus lib. 13. de Trinit. c. 13. decentissimum fuit quod Deus volens humano generi condonare tot & tam graves injurias, exegerit nihilominus aliquam reparationem suae gloriae, per justitiam vindictivam, sed difficillimum erat invenire modum convenientem ad hoc praestandum: oportebat enim eum qui satisfecerat Deo, & debitum hominum habere, & illud debitum posse dissolvere: At homo quidem purus poterat habere debitum, sed non poterat illud dissolvere, id est, pro illo satisficere; contra vero Deo omnia sunt possibilia; sed debuit satisficere illi non poterat conquire; unde oportebat ut ille qui pro peccatis nostris satisficeret, Deus & homo simul existeret, ut in quantum homo, debitum posset suscipere; & quatenus Deus, illud valeret dissolvere.

Confirmatur: Oportebat satisficentem & redimentem humanum genus, malum poenae nobis debite pati, & tamen illud ipsum superare; nam pati tantum & non superare fuisset succumbere malis nostris, non vero nos liberare ab illis, ut ait Augustinus: Deus autem pure manens, Deus mortem sustinere non poterat, purus vero homo illam superare non valebat. Unde Leo Papa sermone 1. de nativ. Salva utriusque proprietate substantiae, & in unam coeunte naturam, suscipitur a virtute infirmitatis, a majestate humilitas, ab aeternitate mortalitas, ut quod nobis remedium congruebat, unus atque idem Dei & hominum mediator, & mori ex uno, & resurgere posset ex alio; id est perferre mortem, ut homo; illam superare, ut Deus. S. Paulus ait 2. ad Corinth. 13. Crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.

Deinde quanta esset divina sapientia ostendit Deus in nostro mysterio, medio quo diabolus vult fuerat ad impediendum illius executionem utendo, ut eam exqueretur. Credidit demum quod sit totam inficeret peccati labem naturam nostram, Deus illam sperneret, & illius feditas impediret, ne am sibi per incarnationem conjungeret, hinc ad peccati malitiam primum hominem induxit, atque ita totam humanam naturam, in eo tanquam in suo capite contentam, foede deturpavit, & verum tantum abest, ut ex eo propositum sibi finem adeperat, quin potius ipsam & peccati notitiam calamitatis & feditatis, uniendo se naturae motivum Deo fuit: quia in re compertum vere fuit quod sancta canit Ecclesia: Ari, un artem falleret, & medalam serret inde, hostis unde laerant, Sane demoni convenit eruditum Juliani Imperatoris Emblemata, qui aquilam sagitta quae ipsius penis orabatur transfixam depingit, hoc subscripto lemmate, Ad ipsa contra ipsam, id est ab illa nascitur quod illam interimit. Non enim aliter contingit adversario humani generis, quippe ab illo egressam ad pravam consilium, quo peccare hominem compulsi femina, quod tamen ipsi inventori & artifice diabolo sagitta lethalis fuit, quae ejus vice transverberat, & per omnem transiget aeternitatem.

Item in hoc mysterio Deus suam ostendit sapientiam, in eo quod cum perfectissimus sit, & nihil ipsi ad augmentum accedere possit, nec ad decrementum decedere, modum tamen quo proficere invenit, ut eleganter expendit D. Bernardus serm. 3. in Ascensione, his verbis: Christus cum per naturam divinitatis non haberet quo cresceret, ascenderet, vel proficeret, quin ultra Deum nihil esset: per descensum quomodo cresceret invenit, veniens incarnari, pati, & mori, ne morem in aeternum, propter quod & Deus exaltavit illum. Unde Nazianzenus orat. 39. ait, quod ille qui ascendit super caelum caeli, ad orientem gloriae suae & splendore, in occasu glorificatur utilitatis humilitatisque nostrae. Quod brevius expressit Leo Papa sermone 2. de passione dicens; Christum pulvere abjectionis nostrae, corpus scissae gloriae suae.

Invenit etiam per hoc mysterium modum admirabilem ad temperandam divinitatis suae splendorem, & ad nostrae naturae claritatem augendum, ut belle observavit Gregorius Magnus lib. 28. Moral. c. 2. & lib. 1. in Ezechiel. hom. 2. ubi haec verba prophetae exponens: Et de medio ejus quasi species electri, subdit, Quid electri specie, nisi Christus Jesus mediator Dei & hominum designatur? Electrum quippe ex auro & argento est: In electro dum aurum argentumque miscetur, argentum ad claritatem crescit, aurum vero a suo fulgore pallescit; illud ad claritatem proficit, hoc a claritate temperatur. Quia igitur in unigenito Dei Filio natura divinitatis unita est natura nostra, in qua adnatione humanitatis in majestatis gloriam excrevit, divinitas a sui fulgore potest

